APPENDIX,
DIPLOMATA QVAEDAM
AD
ANTIQVITATES
LAVRISHAMENSES
FACIENTIA
CONTINENS.

† † †

PAucis libet praemittere, unde diplomata, quae *Appendicis* loco his HELWICHII *Antiquitatibus Laurishamenſibus* ſubiungo, deſumſerim.

Excerpſi autem quatuor prima, *Arnolfi* ſcilicet Imperatoris, *Ioannis* Papae *XV*, *Henrici* Regum *II*, Imperatorum *I*, & *Leonis* Papae *IX* e codice epiſtolari *Vdalrici Babenbergenſis*, quem illuſtris *Eckhardus* tomo II *Corporis hiſtoricorum medii aeui* n. I inſeruit*. Quintum, quod *Henrici IV* eſt, huc attuli ex *Auctario diplomatum* a *Lindenbrogio* olim *M. Adami* hiſtoriae Archiepiſcoporum Bremenſium ſubiunctorum, quippe cui doctiſſimus *Fabricius* id in editione ſua p. 179 adiecit. *Henrici* Abbatis Laurishamenſis, quod proxime ſequitur, deſumſi e tabulis *coenobii Schönaugienſis*, quae mihi ſunt, manu ſcriptis. *Conradi* uero, Epiſcopi Wormatienſis e *Freheri* Commentariolo *de Lupoduno*, in quo ultimum occupat locum p. 29 & ſeq. Octauum, quod *Sigehardi* Abbatis Laurishamenſis eſt, huc tranſtuli e Diplomatario miſcello *Spicilegii* mei *I*, in quo id n. V p. 450 & ſeq. legas. Vltimum denique *Conradi* Abbatis ſimiliter e tabulis, quas modo dixi, *Schönaugienſibus* nondum euulgatis.

* *In quo* Arnolfi *illud n. XIV col. 30 & ſeq.* Ioannis *Papae* XV *n. XII col. 29 & ſeq.* Henrici II *n. LXIV col. 66*, Leonis *denique* IX *n. XI col. 27 & ſeq. reperies.*

Ceterum, ſi ea legeris, ipſe agnoſces, quod uſum nobis non plane nullum praeſtent. ut adeo haud opus ſit, id pluribus oſtendere atque explicare. Ne tamen prorſus nil hic dixiſſe uidear, *Arnolfi* illud docet, & ipſum ſuo iam tempore fratribus Laurishamenſibus facultatem reſtituiſſe, Abbatem, ſi caſus ita ferret, eligendi; quod opido notandum, cum auctor id ne uerbo quidem memorarit. Secundum, quod *Ioannis* Papae *XV* eſt, manifeſtum facit, quod & ipſe monaſterii huius fortunas, honorem, dignitatemque auxerit aeque ac confirmarit: id quod auctor rurſum praeteriit. *Henrici II* illud, quod n. III eſt, praedii cuiusdam regii cum alio coenobii commutationem nobis memorat; quam auctor ſimiliter transmiſit ſilentio. Quod proxime ſequitur *Leonis* Papae *IX*, mihi id eſſe uidetur, quod auctor *Hugonem I* expetiiſſe, cap. XXV § 3 ſcribit. *Henrici IV* illud, quod n. V eſt, firmat, quae auctor cap. XXVII § 4 habet; Imperatorem ſcilicet *Adelberto* Bremenſi Abbatiam Laurishamenſem

conceſ-

conceſſiſſe. Reliqua auctoris explent lacunas; uti ſane VI res Abbatis *Henrici* illuſtrat; n. VII res coenobii; n. VIII res Abbatis *Sigehardi*, aeque ac IX res *Conradi*, Abbatum, ut patuit, poſtremi.

Nil ſupereſt, quam ut breuibus moneam, me nonnunquam margini adſcripſiſſe, quae mihi uerior uel genuina uideatur lectio; ſigillatim in Bulla *Leonis IX*, quae tabularum harum n. IV eſt, pro *Vdalrico* poſui *Vgoni*; quandoquidem *Vdalricus* ab *Leonis* obitu demum, & quidem anno MLVI monaſterio Abbatis titulo dignitateque impoſitus fuit. Vnde autem, *Vdalrico*, pro, *Vgoni*, irrepſerit, non ita difficulter coniicere licet. Cum enim illorum temporum more *Vgonis* nomen ſola littera initiali *V* ſignatum eſſet, librarius, cui forte *Vdalricus* notior erat, quam *Vgo*, ſibi perſuaſit, indicari hic *Vdalricum*.

I

ARNOLFI Imperat.

quo fratribus coenobii facultatem eligendi Abbatem restituit.

In nomine sanctae & indiuiduae Trinitatis.

ARNOLFVS diuina fauente clementia Rex. Si fidelium nostrorum petitionibus, quas pro ecclesiarum sibimet commissarum utilitatibus nobis suggesserint, clementer annuimus, ac pie prospicimus, id nobis ad statum regni nostri prospere gubernandum, & ad aeterni regni beatitudinem feliciter promerendam liquido profuturum esse confidimus.

Quapropter generali collegio omnium fidelium N. praesentium atque futurorum notum fieri cupimus, qualiter ante biennium, & etiam saepe antea a fidelibus Episcopis nostris, nec non ab religiosis laicis, ceterisque compluribus diuersi ordinis uiris, auribus serenitatis nostrae celeberrima* delatione delatum est, qualiter in monasterio N. dicto, in honore *S. Nazarii* Christi martiris dedicato, ubi ipse corpore quiescit, quod bonae memoriae *Ludouicus* Rex, auus uidelicet noster, multa augmentatione cumulauit, atque prae ceteris coenobiis dilexit, ibidem sibi locum sepulturae eligens, conuersatio monachicae uitae, ob pastorum, qui eidem congregationi praeesse debuerant, incuriam atque desidiam irrita fieret, regularisque uitae ordo, nisi nostra prouidentia cito emendaretur, penitus deficeret, uarias opiniones de eis proferentes, & *omnimoda prauitate eos accusantes, & inter cetera dicentes, tantum malum aliter nullatenus posse aboleri, nisi idem coenobium alicui de fidelibus nostris, Deum timenti ac diuina praecepta amanti, ad procurandum & regendum consignaretur. Ad *nos huiusmodi crebris sermonum uerberibus attriti, omnium fidelium N. consultu, N. uenerabili ac dilectissimo Episcopo nostro, quem ad omne bonum promptum esse scimus ac cognoscimus, idem monasterium ad gubernandum delegauimus.

* f. *creberrima*

* f. *de* omnimoda

* f. *Ac* nos

Post haec etiam ipse, postposito omni saeculari honore & commodo, quae inde consequi potuit, malens in caelestibus thesaurizare, precatus est clementiam nostram, ne aliquis maliuolorum fraude uel insidiis ipsum locum surripere posset, ut pristino honore eum ditaremus, & eis licentiam concederemus, iuxta eorum arbitrium inter se eligendi Abbates. Cuius piis atque paternis ammonitionibus libenter assensum praebuimus, praesensque praeceptum inde conscribi iussimus, per quod decernimus, atque firmissime iubemus, ut ipsi fratres praelibati monasterii, ab hodierna die ac deinceps, securam teneant potestatem, inter se eligendi Abbates, quamdiu talem illic inuenire possunt, qui scientia & morum honestate talis sit, ut tantam congregationem iuxta regulam *S. Benedicti* queat & sciat regere, & regali dignitati iusta obsequia praebere.

Et ut hoc praeceptum a nullo unquam successore nostro uioletur, & diligentius incorruptum obseruetur, manu nostra illud firmari, anuloque nostro insigniri iussimus.

Signum Domini Arnolfi, *largissimi Imperatoris Augusti.*

II

IOHANNIS Papae XV Bulla,

qua coenobio ueteres possessiones confirmat, cet.

IOHANNES Episcopus, seruus seruorum Dei, dilectissimo in Domino filio, N. religioso Abbati uenerabilis monasterii, ubi *S. Nazarii*, pretiosi martyris, corpus requiescit, in loco, qui dicitur N. qui dedicatus est in honore Apostolorum *Petri* & *Pauli*, & *S. Nazarii* martyris similiter consecratus, *successoribus tuis in perpetuum.

* f. & successoribus.

Conuenit Apostolico moderamini pia religione pollentibus beneuola caritate succurrere, & promptum cum alacri deuotione impertire assensum. Ex hoc enim lucri potissimum praemium a conditore omnium reponitur Deo, quando uenerabilia loca opportune ordinata, ad meliorem fuerint sine dubio statum nostra Apostolica auctoritate perducta.

Et quia excellentiae uestrae laudabilis mansuetudo postulauit a nobis, quatenus pro amore dilecti filii nostri, Domini *Ottonis Tertii* Imperatoris, & dilectae matris suae *Theophaniae*, & Dominae nostrae auiae suae, spiritualium filiarum nostrarum, praedictum monasterium confirmaremus, concedimus & confirmamus uobis, uestrisque posteris praefatum monasterium, cum omnibus rebus mobilibus & immobilibus illuc pertinentibus, quae dici uel nominari possunt, a praesenti tertia indictione ad ipsum sacratissimum monasterium permanendum statuimus, & statuendo confirmamus, ita ut cuncta loca, urbana uel rustica, id est, in fundis & casalibus, casis & uillis, uinetis, & terminis, seu castellis, campis, pratis, pascuis, siluis, saltibus, arboribus pomiferis, fructiferis & infructiferis, diuersi generis, puteis, fontibus, & riuis, aquis, molendinis, piscationibus, praedia culta & inculta, una cum colonis & familiis suis, cum decimis & solitis dationibus, & uniuersis rebus, quae aliquo modo ad ipsum locum pertinent, uel pertinere debent, amodo & usque in finem saeculi, sicuti ab antecessore nostro, Domino N. sanctissimo Papa per praecepti paginam uobis concessum est, ita & nos omnia in integrum per hoc nostrum priuilegium, & auctoritate beati Petri Apostoli, cum omni securitate & tranquillitate uobis & posteris uestris concedimus & confirmamus donandum perpetualiter. Post obitum uero Abbatis nemo ibidem Abbatem constituat, nisi quem consensus & communis uoluntas fratrum ex ipsa congregatione elegerit. Statuimus etiam Apostolica censura, sub diuini iudicii obtestatione & anathematis interdictu, ut nullus Dux, nullus Comes, nullus Archiepiscopus uel Episcopus, uel etiam quaelibet hominum magna, paruaue persona praesumat eidem uenerabili monasterio damnum siue molestiam inferre, siue de rebus ipsius auferre uel alienare, sed sicut supra a nobis confirmatum est, ita perennibus ac perpetuis temporibus sine aliqua diminutione liceat finetenus permanere. Si quis autem, quod non optamus, temerario ausu extiterit, qui contra hoc nostrum Apostolicum confirmationis priuilegium uenire, aut in quoquam dirumpere praesumserit, & sicut superius a nobis confirmatum est, ita permanere non dimiserit, sciat, se, nisi resipiscat, auctoritate Dei omnipotentis & beati Petri, Apostolorum principis, atque nostra, qui eius fungimur uice, anathematis uinculo esse innodandum, & a regno Dei alienum, atque cum Iuda traditore Domini nostri Iesu Christi, & cum omnibus impiis in aeterno incendio concremandum. Qui uero pio intuitu custos & obseruator extiterit huius nostri Apostolici confirmationis priuilegii, benedictionis gratiam a iusto iudice Domino nostro Deo consequi mereatur in saecula saeculorum, Amen.

Scriptum per manum *Stephani*, Scriniarii sacri palatii in mense Octobri & indictione III. Data XIV Kalend. Nouembr. per manum *Iohannis* Episcopi Nepesinae ecclesiae, & Bibliothecarii sanctae sedis Apostolicae, anno Pontificatus Domini nostri *Iohannis* sanctissimi Papae quinto, in mense Octobri & indictione supra scripta, imperante Domino nostro *Ottone III* Imperatore.

III

HENRICI II Imperat.

de praedio quodam cum alio coenobii commutato.

In nomine sanctae & indiuiduae Trinitatis.

HEINRICVS Dei fauente clementia Rex. Si loca diuinis obsequiis deputata debita deuotione sublimare studuimus, ad utriusque profectum uitae nobis id prodesse, non ambigimus. Ideo uniuersitati fidelium nostrorum, praesentium ac futurorum, patere uolumus, qualiter nos interuentu & petitione N. uenerabilis Abbatis sanctae Laureſamensis ecclesiae, cui ipse loco Abbatis praesidet, praedium quoddam nostri iuris stabili traditione pro concambio in proprium concessimus.

Quicquid enim in his locis usque modo proprietatis obtinuimus, id est, uilla N. in pago N. in Comitatu N. Comitis sita, cum omnibus appendiciis, mancipiis utriusque sexus, terris cultis & incultis, pratis, pascuis, omnibusque acquisitis uel acquirendis, Deo, sanctaeque praedictae Dei ecclesiae deuotione gratuita obtulimus, ea quidem ratione, quatinus eiusdem loci Abbas & reliqui succes-

sores

ceſſores ſui idem praedium eccleſiaſtico iure obtineant, &, quod inde placuit, ad uſus eccleſiae rationabiliter utendi, noſtro conceſſu libera facultate potiantur, & pro hoc quoddam eiusdem eccleſiae praedium N. nobis mutuo concambuimus.

Et ut haec noſtrae commutationis auctoritas ſtabilis & inconcuſſa permaneat, hanc regalis praecepti paginam inde conſcribi, ac manu propria confirmantes, ſigillo noſtro praecepimus inſigniri.

Signum Domini Heinrici ſecundi *Regis inuictiſſimi.*

IV

LEONIS Papae IX Bulla,

qua monaſterium in Sedis Romanae patrocinium ſuſcipit, certisque priuilegiis cohoneſtat.

LEO Epiſcopus, ſeruus ſeruorum Dei, dilectiſſimo in Domino, *VDALRICO, religioſo Abbati uenerabilis Laureſſamenſis eccleſiae, & per te in eodem uenerabili monaſterio tuis ſucceſſoribus in perpetuum. * f. VGONI

Quoniam concedenda ſunt, quae rationabilibus deſideriis pertinere noſcuntur, noſtri Apoſtolatus auctoritas ad roborandam piam deuotionem ſancta loca conſtruentium, in praeſtandis priuilegiis debet minime abnegari.

Igitur quia excellentia ſpiritualis filii noſtri, Domini *H.* piiſſimi Imperatoris Auguſti poſtulauit a nobis, quatenus monaſterium N. quod conſtructum eſſe certum eſt a piiſſimis Imperatoribus, *Karolo Magno*, & filio eius *Ludouico*, eorundemque ſucceſſoribus, ubi modo uenerabilis Abbas N. regulari inſtitutione praeeſſe uidetur, priuilegiis ſanctae Romanae & Apoſtolicae ſedis modis omnibus decoretur, ſcilicet, ut nullius iuri & ditioni ſubmittatur. Ideo piis deſideriis ſpiritualis filii noſtri fauentes, hac noſtra Apoſtolica auctoritate decernimus, id ipſum praefatum monaſterium amodo & usque in finem ſaeculi, ſub patrocinio ſanctae Romanae & Apoſtolicae matris eccleſiae, cum omnibus, quae ad illud pertinent, permanendum. Decernimus igitur ſub diuini iudicii obteſtatione, & beati Petri, Apoſtolorum principis, noſtraeque humilitatis interdictione, ut nullus in aliquo gradu conſtitutus, uel in quolibet ordine & miniſterio, audeat moleſte cauſis eiusdem monaſterii incumbere, aut de rebus & poſſeſſionibus quoquo modo auferre, aut alienare, ſeu ipſos monachos inibi Deo ſeruientes inquietare praeſumat, nec quamlibet malitiam & iacturae moleſtiam ibidem inferre conetur, dum profecto illud, ut ſaepe praedictum eſt, firma ſtabilitate & iurisdictione ſub patrocinio ſanctae noſtrae Romanae matris eccleſiae permanendum ſancimus.

Addimus praeterea, poſt obitum Abbatis, ut nemo ibidem Abbatem conſtituat, niſi quem conſenſus & communis uoluntas frattrum ibidem regulariter uiuentium ex ipſa congregatione elegerit, nullumque praemium ſiue donum pro conſecratione illius Abbatis, qui tunc temporis fuerit Praeſul, accipere contendat, & ſi eum gratis ordinare noluerit, uel a noſtra Romana matre eccleſia, uel a quolibet uenerabili Epiſcopo noſtra auctoritate ordinetur.

Promulgantes nempe & hoc auctoritate beatiſſimi Petri, Apoſtolorum principis, coram Deo, & terribili eius futuro examine, per huius noſtri Apoſtolici priuilegii conſtitutionem ſancimus, ut uniuerſa, quae ab anteceſſoribus, ſucceſſoribusque noſtris in rebus mobilibus & immobilibus conceſſa ſunt, nec non & poſſeſſionibus, quae a Regibus & Principibus, ſeu quibuslibet Chriſti fidelibus collata ſunt, fuerintue in poſterum, inconcuſſa ſtabilitate ad ius & dominium *S. Nazarii* martyris perpetuis temporibus perſeuerent, nec licentia ſit, ut dictum eſt, ex omnibus eiusdem monaſterii pertinentibus, cuiquam uel magnae uel paruae perſonae diripere quicquam, uel auferre, ut profecto ad Dei laudem ſecurum & tranquillum, iuſte id, quod ſubiectum iuri & patrocinio *decreuimus, bene dotatum, & in melius dotandum permaneat. * f. *ſicuti* decreuimus

Si quis autem, quod non optamus, nefario auſu praeſumſerit, haec, quae ad honorificentiam Domini Dei & Saluatoris noſtri, pro ſtabilitate ipſius monaſterii, & quiete monachorum, ſtatuta ſunt, transgredi, ſciat, ſe anathematis uinculo innodatum, & cum diabolo & omnibus impiis *eum incendii atrociſſimo ſupplicio * 1. *aeterni*

deputatum. At uero, qui pio intuitu custos & obseruator eorum exstiterit, omnimodae benedictionis gratiam, omniumque peccatorum suorum absolutionem & indulgentiam, & caelestis uitae beatitudinem cum sanctis & electis, a misericordissimo Domino Deo nostro consequi mereatur in saecula saeculorum, Amen.

Data XI Kalend. Nouembr. per manus *Petri* Diaconi & Bibliothecarii & Cancellarii sanctae Apostolicae sedis, anno Domini *Leonis* Papae primo, indictione III.

V

HENRICI IV Imperatoris, *quo* Adelberto *Archiepiscopo Bremensi coenobium hoc* Lauresham *cum Principatu eiusdem attribuit.*

In nomine sanctae & indiuiduae Trinitatis.

HEINRICVS diuina fauente clementia Rex. Cum regiae dignitatis sit, ius cuiquam seruare suum, praecipue tamen ecclesiastica iura nobis obseruanda uidentur, quia si peccandum, tolerabilius in hominem, quam in Deum, si non peccandum, reuerentius tamen Deo, quam hominibus obsequendum. Nos quidem patrum praecedentium uestigia imitari optantes, augere bona ecclesiastica, aucta retinere, nostroque, in quantum possumus, patrocinio tueri debemus, quatenus nostra tenera aetas, ad uirile robur anhelans, promoueri si promouerit sperans, & dandi in Deo gloriam assequatur, & data inter homines confirmandi gratiam non amittat.

Vnde omnibus Christi, nostrique fidelibus, tam futuris quam praesentibus, notum esse uolumus, qualiter bene erga nos promerentem *Adelbertum* Hammaburgensem Archiepiscopum digne remunerantes, ad Archiepiscopalem ecclesiam, scilicet *Hammaburch*, in honore Domini & Saluatoris nostri, eiusque intemeratae genetricis *Mariae*, & beati *Iacobi* Apostoli, sancti quoque *Viti* martyris constructam, Abbatiam *Lorissa* dictam, in pago *Lobotengowe*, in Comitatu *Popponis* Comitis sitam, cum omnibus appendiciis, hoc est, utriusque sexus mancipiis, praeposituris, ecclesiis, decimis, uillis, uineis, agris, pratis, campis, pascuis, siluis, forestis, uenationibus, terris cultis & incultis, aquis, aquarumue decursibus, molis, molendinis, piscationibus, exitibus & reditibus, uiis & inuiis, quaesitis & inquirendis, omnique utilitate, quae uel scribi, uel dici, uel ullo modo inde potest adquiri, in proprium dedimus atque tradidimus, nec non omni iure ac libertate, qua nos eam habuimus, sibi habendam concessimus, perpetualiter tenendam confirmauimus; ea uidelicet ratione, ut praedictus *Adelbertus*, eiusdem Sedis Archiepiscopus, suique successores, eandem, quam de ceteris ecclesiae suae bonis legaliter adquisitis, liberam & de hac Abbatia potestatem habeant, tenendi, constituendi, uel quicquid ad communem utriusque ecclesiae utilitatem uoluerint, faciendi.

Et ut haec nostra regalis traditio stabilis & inconuulsa omni permaneat tempore, hanc chartam inde conscribi, manuque propria corroborantes, sigilli nostri impressione iussimus insigniri.

Signum Domini HEINRICI Quarti *Regis.*

Sigehardus Cancellarius uice *Sigefridi* Archicancellarii recognoui.

Data VIII Id. Septembr. anno domin. incarnationis MLXV, indictione III, anno autem ordinationis Domini *Heinrici Quarti* Regis XI, regni uero IX. Actum *Orckersleuo* in Dei nomine feliciter, Amen.

VI

HENRICI Abbatis, *quo coenobio Schonaugiensi loca quaedam, intra fines uillae* Virnheim *sita, confert atque attribuit.*

In nomine Dei omnipotentis.

HEINRICVS diuina misericordia *Laurishamensis Abbas*, uniuersis Christi fidelibus, futuris ac praesentibus, in perpetuum. Apostolica commonemur institu-

institutione, ut bonum facientes non deficiamus, quo tempore suo metamus, praecipue tamen necessitati Sanctorum communicantes, quoniam talibus hostiis promeretur Deus.

Quocirca omnium Christi fidelium, futurorum ac praesentium, nouerit experientia, qualiter nos respectu supernae retributionis, atque Aduocati nostri, *Cunradi*, Illustris *Palatini Comitis* de *Rheno*, consensu & rogatu, ceterorumque fidelium ac fratrum nostrorum persuasu commoniti, dilectis fratribus nostris in *Schonaugia* & uere Christi pauperibus, quaedam loca inculta & saltuosa infra terminum uillae nostrae *Virnheim* sita, partim agris, partim pascuis opportuna, certis limitibus determinata concessimus, quatinus ea iure hereditario teneant, excolant, possideant: ueruntamen ab extirpatione eiusdem siluae, & ab incisione lignorum, quae banno non sunt obnoxia, nisi ex licentia nostra, prorsus abstineant, atque ut prouentus laboris eorum ecclesiae quoque nostrae fructuosus existat, ipsorum annuente conniuentia statuimus, quatinus trecentos caseos, singulos pretio denarii nostrae monetae, loco decimarum annuatim persoluant; quorum triginta Parochiano in *Virnheim*, reliqui nostro, successorumque usui proueniant. De cetero ab omni infestatione alicuius pensionis, ab omni exactione iudiciariae potestatis liberi & immunes permaneant, & quidquid pro opportunitate sua in iisdem locis absque detrimento siluae elaborare uel excolere ualuerint & uoluerint, ex huius nostrae concessionis auctoritate, libera in omnibus faciendi potestate potiantur.

Et ut huius concessionis & constitutionis nostrae soliditas futuris temporibus certior, firmiorque teneatur, chartam hanc exinde conscriptam sigilli nostri impressione subterfirmauimus, nobiliumque ac probabilium personarum testimonio commendabiliorem fecimus; quarum nomina sunt haec:

de *Clero*,

Chunradus Wormatiensis Episcopus,
Heinricus Laurishamensis Abbas,
Cunradus Custos de Wimpina.

de *Liberis*,

Chunradus Palatinus,
Chunradus de *Hohinhart*, & filius eius *Chunradus*,
Waltherus de *Husen*,
Gerhardus de *Schowenburch*,
Ruodolfus de *Kiselowe*,
Billungus de *Lindenvels*,
Chunradus de *Hirzperg*,
Bliggerus de *Steinahe*,
& filii eius *Bliggerus* & *Chunradus*,
Ruothardus de *Krutheim*,
Erpho de *Hirzberg*.

de *Ministerialibus*,

Wernherus de *Wormatia*,
Ingramus & *Ruomhardus* de *Hentschuhesheim*,
& ceteri quamplures.

Acta sunt haec *Hentschuhesheim* anno dominicae incarnationis MCLXV, indictione XIII.

VII

CONRADI Episcopi Vormatiensis, *quo nouellationem agrorum & pratorum, in foresto ad uillam* Virnheim *pertinente, certo numero coenobio Schonaugiensi concedit ac indulget,*

In nomine Domini Dei omnipotentis.

CVNRADVS Dei gratia Wormatiensis ecclesiae Episcopus, uniuersis Christi fidelibus, tam futuris, quam praesentibus. Omnium quidem Dei fidelium, sed maxime Pontificalis prouidentiae est, seruorum Dei necessitati-

bus consulere, & ut liberius ad pedes Domini Iesu sedere, ac diuinae contemplationi iugiter inhaerere ualeant, circa ipsorum frequens ministerium satagere.

Eapropter nouerit uniuersitas cunctorum Christi fidelium, ad praesens & in posterum, qualiter nos diuinae mercedis intuitu, & maiorum ecclesiae nostrae rogatu persuasi, dilectis fratribus nostris in *Schonaugia* nouellationem agrorum seu pratorum, quatuor aratris sufficientem, in foraste ad *Virnheim* pertinente (cuius quidem fundus ad *Laureshamense* monasterium, regalis uero bannus nostram respicit ecclesiam) hilariter indulsimus, & praesentis scripti auctoritate confirmauimus.

Praeterea ut inter ipsos & eiusdem ecclesiae Parrochianos totius contentionis & querimoniae materiam perpetuo decideremus, ipsius praesentis Parrochiani consensu, & confratrum nostrorum mediante consilio decreuimus, quatinus triginta casei, singuli pretio Wormatiensis denarii, loco decimarum, quae ibidem tam de fructibus, quam de animalibus quoquo modo elici potuerint, praefato Parrochiano, suisque successoribus ab eisdem fratribus annuatim persoluantur; & praeter hos duo casei, similis pretii, Episcopali camerae ob facti memoriam inferantur, atque de reliquo ab omni decimarum seu ceterarum exactionum molestia quieti & immunes permaneant.

Et ut huius nostrae concessionis & constitutionis auctoritas per futura tempora commendabilius prorogetur, atque inuiolabiliter conseruetur, paginam hanc exinde conscriptam sigilli nostri impressione roborari iussimus, & testes, in quorum haec praesentia gesta sunt, ut infra uidetur, assignauimus.

Chunradus Wormatiensis Episcopus,
Sigehardus Laurishamensis Abbas,
Gernodus, *Chunradus*, Capellani.
Orto Magister de *Niwhusen*,
Trutwinus de *Winenheim*,
Bertholfus de *Besinsheim*, } Parrochiani,
Rechwinus Laurishamensis Decanus,
Rudolfus Praepositus *S. Michaelis*,
Lanzo Praepositus *S. Petri*,
Dauid, *Gerungus*, Monachi.

de *Nobilibus*,

Gerhardus, *Bertholdus*, *Godefridus* de *Schowenburg*,
Otto Sporo, *Marquardus* de *Heimvelt*.

Actum *Lobedenburck* Idus Iunii, anno dominicae incarnationis MCLXVIII, indictione I, regnante glorioſissimo Imperatore *Friderico* anno XVI, Pontificatus uero Domini *Cunradi* Wormatiensis Episcopi anno - - - feliciter in Christo, Amen.

VIII

SIGEHARDI Abbatis, *de uendito ab se monasterio* Lobenfeld *praedio in* Blanckestadt.

In nomine Domini.

SIGEHARDVS Dei gratia *Laurishamensis ecclesiae Abbas*, uniuersis Christi fidelibus, tam futuris, quam praesentibus. Pastoralis prouidentiae & religiosae considerationis est, circa possessiones, quibus sustentatur familia Christi, uigilanter intendere, & his, quae minus prouentuosae sunt, seu locorum intercapedine ad excolendum difficiles, dispensationis subuenire remedio.

Ea propter notum sit omnibus praesentis ac futuri temporis Christi fidelibus, qualiter nos fratrum nostrorum in *Nuwenburg* & precibus efflagitati, & consilio persuasi, praedium in *Blanckestat*, ab antecessore nostro piae recordationis *Heinrico* eidem monasterio collatum, famulantibus Deo in *Lobenvelt* iusta aestimatione uendidimus, & ex iure ac dominio nostro in ius & proprietatem ipsorum transfudimus, solempnitate legitima, quatinus hoc ipsum praedium cum omni integritate, uidelicet areis, agris, campis, pratis, pascuis, siluis, aquis, cultis terris

terris & incultis, cum omnibus denique aſpicientiis ſuis, prout ipſum habuimus, praefati fratres perpetuo teneant & poſſideant, neque a fratribus noſtris, neque a quolibet ſucceſſorum noſtrorum ullam omnino praeſcriptionem ſentiant. Verum pro compenſatione eiusdem praedii quosdam dominicales agros noſtros in *Winneheim*, ex quibus maior utilitas elici poteſt, praedictae Cellae noſtrae contulimus, atque ex pecunia, quae pro ipſo praedio data eſt, agrorum nouellatione non minima ibidem facta, diſpoſitioni & uſui noſtro eam aſſignauimus.

Vt autem huius facti memoria & ſtabilitas apud poſteros noſtros rata & conteſtata perſcueret, chartam hanc exinde conſcriptam ſigilli noſtri impreſſione roborauimus, ſubſcriptis etiam, qui & conſilio & praeſentia interfuerunt, probatis & idoneis teſtibus; quorum haec ſunt nomina:

de *Fratribus*,

Lanzo Praepoſitus *S. Petri*,
Ludewicus S. *Mariae*,
Rudolfus S. *Michaelis*,
Rehewinus S. *Laurentii*, } Praepoſiti,
Cunradus Decanus de Domo *S. Nazarii*,
Fridericus Cellerarius, *Godefridus*,
Gerungus Cuſtos, *Rumundus*.

de *Nuvvenburg*,

Rudolfus, *Waltherus*, *Hartmudus*, *Berewardus*.

de *Nobilibus*,

Gerhardus, & fratres eius, *Bertolfus*,
& *Godefridus* de *Schowenburg*,
Otto, *Marquardus*.

de *Miniſterialibus*,

Rumhart, *Ingram*, *Gernot*,
Cunrad, *Hartlieb*, *Hildebert*,
Ortlieb, *Craft*, *Arnoldus*,
Giſilherus, & alii quamplurimi.

Actum *Lauriſſae* II Id. Iunii, anno dominicae incarnationis MCLXXIII, indictione VI, imperii uero Domini noſtri glorioſi Imperatoris *Friderici* XXI, amminiſtrationis autem noſtrae in eccleſia Lauriſſenſi VI, feliciter in Chriſto!

IX

CONRADI Abbatis,

de transactione cum coenobio Schonaugienſi, quod ad cenſus de bonis eiusdem in Virnheim *ſibi & conuentui ſuo ſoluendos, facta.*

In nomine Dei omnipotentis.

CVNRADVS Abbas & *Conuentus Lauriſſenſis eccleſiae* uniuerſis tam praeſentibus quam futuris in perpetuum. Notum eſſe cupimus, nos cum Abbate *Chunrado* & Fratribus Schonaugienſibus conueniſſe in hunc modum.

Conqueſti ſunt nobis ſaepius & conſtare fecerunt fratres iam dicti, quod homines noſtri eisdem in bonis dampnoſi extiterant ad aeſtimationem XXV talentorum Wormatienſium. Nos igitur ſuae deuotionis intuitu, & iuſtitiae, ac noſtrae recordationis praecipue, ipſis in reſtaurationem damni praetaxati, de aſſenſu Capituli noſtri, duximus indulgendum, quidquid iuris praeter antiquos cenſus nobis hactenus ceſſit de bonis eorundem in *Virnheim*, uidelicet XVII manſis, IX areis, paſcuis, agris, pratis, & communi, quod *almende* uocatur; ſtatuentes, ut ipſi nequaquam de cetero in exhibendis heredibus de bonis illis uel iure hereditario, ſiue mortuariis, ſeu in dandis aliquibus hoſpitiis obligari debeant aut moleſtari; ſed neque ad placita ciuilia, *Cemdingen*, neque ad uadia, *Cemwetten*, compellendi ſint; immo, ſi deliquerint, ſicut ceteri religioſi ſatisfaciant. Ipſi quoque huius libertatis reſpectu nobis annuatim in die *B. Margaretae* XXX caſeos

praeſen-

praesentare tenentur, iuxta quantitatem illorum, qui dantur nobis in noua grangia: nec de bonis ad nos pertinentibus in uilla praedicta, siue postmodum, aliquid conquirant sine nostro beneplacito.

Census uero ab antiquo statuti de bonis illis soluendi sunt nobis hoc modo: In *Purificatione B. Virginis* singuli de XVII mansis uiginti denarios nostrae monetae persoluent; & singulae de IX areis decem denarios in *Coena Domini*; singuli mansi iam dicti unum pullum, & quindecim oua. In die *B. Margaretae* idem census, qui in *Purificatione*, dandus est de illis XVI mansis, & IX areis praedictis: sed de uno adhuc residuo, qui decimus septimus est, & uocatur *Ammethube*, dabuntur eodem die Sculteto nostro IV unciae pro omni iure totius anni. Ille mansus, quem praeterea habent praedicti fratres, & uocatur *Wilthube*, nihil nobis soluit, nec ad nos pertinet. Item in festo *B. Martini* quilibet de praefatis XVI mansis unum porcum soluet ad duos solidos aestimatum; tres areae, singulae decem denarios; & quinque, singulae sex denarios; una pullum unum, & ager ... sex denarios: de pratis uero soluentur duae unciae & dimidia, & tres oboli. Horum denariorum tertia pars cedet pro decima; de prato, quod non secatur, decima non est soluenda.

Acta sunt haec anno incarnationis dominicae MCCXXII in cimiterio *Hephenheim.*

Testes sunt

Dietherus Comes *de* Cazenellenbogen,
Gerhardus de *Schowenburg*,
Godefridus de *Biggembach*,
Chunradus Praepositus de Spirea,
Chunradus Praepositus de *S. Gwidone*,
Chunradus Plebanus de Lauriſſa.

de *Conuentu nostro*,

Diemarus Decanus,
Adelhelmus Praepositus in *Steinbach*,
Craphto, *Simon*, *Marquardus*,
Chunradus, *Heinricus*, *Beringerus*,
Otto Magister Hospitalis, *Heinricus*,
Heinricus Conuersus ibidem,
Hebestrit Praepositus de monte *S. Michahelis*,
Chunradus Aduocatus de *Hirzberg*,
Chunradus dictus *der Stralenbergere*,
Rupertus de *Escelbrucken.*

Item *Ministeriales* Lauriſſensis eccleſiae,

Marquardus de *Hirzesberg*,
Volkoldus, frater eius,
Heinricus de *Winneheim*,
Walbrun, *Waltherus*,
Godefridus Steinelere,
Heinricus de *Starckenberg*,
Petrus, frater eius,
Sifridus Vritag,
Heinricus, frater eius,
Gernodus Snoucke,
Fridericus,
& alii quamplures.